

Vbi vero negocium huiusmodi ad forum vestrum minime pertinuerit, extunc nullas litteras citatorias talibus calumpniatoribus, ac tali lucro se sustentare solitis decernere debeatis, nec sitis ausi modo aliquali. Et hec volumus etiam per successores vestros Vicarios scilicet, et Locumtenentes dictarum Ecclesiarum facere firmiter obseruari, et presentes post lecturam reddi semper presentanti. Datum Bude feria quarta proxima post festum Pentecostes. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono.

(*Sigillum Regium appressum.*)

Originale in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 94.

CLXVIII.

Anno 1501. Feria proxima ante dominicam Ramis palmarum. Budae.

Vladislaus Rex a Regno Slavoniae ad defendendum castrum Jajca, cui a Turcis periculum imminebat, auxilia petit.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fidelibus nostris Magnificis ac Egregiis et Nobilibus Vniuersitati Regnicolarum Regni nostri Sclauonie salutem et gratiam. Certificati sumus; et omnino pro explorato habemus Thurcos castrum Jaycza in his diebus velle obsidere. Quod non vanum aut friuolum, sed certum et firmissimum existit. Nam vltra alia omnia intimata, que vt diximus, superinde non de vno duntaxat, sed de pluribus locis habuimus, quidam captius Thureus missus fuerat ad nos, qui poenis et tormentis agitato, fassus est, ipsum Imperatorem Thureorum procul dubio castrum illud velle obsidere; preterea plerique etiam alii Thurei in eodem castro Jaycza diuersis similiter tormentis cruciati, vniformiter et consentanea voce modo simili retulerunt premissa omnia vera et certissima esse. Non fugit autem vos, quantas necessitates presertim in victualibus castrum predictum patitur. Ne igitur in extremam perniciem ac periculum huius Regni, atque omnium vestrorum castrum ipsum pereat, iam nos, quantum pedites, et equites citissime ad idem castrum misimus, ac aliam prouisionem fecimus. Quapropter pro euitando tanto, et tam formidabili primis partibus illis et consequenter huic, et illi Regno; immo verius rogamus, et hortamur fidelitates vestras, eisdemque etiam committentes, prout s, et Nobili-